

Joannes Crudopius


**Oratio De Laude Historiarum, deque diversis earum Scriptoribus, In Schola Wismariensi, 3. Non. Decemb. Anno 1623.**

Rostochi[i]: Pedanus, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746887639>

Druck Freier  Zugang





*MK-13396. (1)*





Inhalt:

- Crudopius, De laude historiarum. Oratio hab. in schol. Wism. 1624.  
Lippius, De "praeceptoris publici conditione." " " " 1677.  
Grussenberg. et Eckhorst, Oratio Alexandri Magni ex Curt. 8,2 diducta. 1692.  
Reimerus, Primitiae Wism. h. e. orationes II. 1723.  
Schomerus, De varia Augustanae conf. fortuna. 1730.  
Nitte, De mentis humanae vivinandi facultate. 1744.  
Schomerus, De optimo principe. 1744.  
Rönnberg, Ven. Gedanken von den Ursachen der Elektrizität. 1746.  
" " Ausmessung der Faesser. 1747.  
Nitte, " Rom. VIII, 18. 22. 1751.  
Denso, De deteriore schol. conditione. 1754.  
" " Ankündigung einer feierl. Kuldigungs Rede. 1754.  
" " Cato scenis non agitandus. 1758.  
" " Von den alten Deutschen. 1768.  
" " (Carmen constitutionis) 1765.  
" " (Carmen memor.) 1774.  
Einladungsprogramm. 1799.  
" " 1801. (Goth, Verbindung der Bürger- u. gelehr. Schulen.)  
" " 1804.  
" " 1805.  
" " 1809.  
" " 1810.  
" " 1814.  
" " 1817. (Goth, Luther über Erziehung.)  
Crain, Carmen saeculare. 1817.  
" " 1818.

Ex  
Bibliotheca  
Academicae  
Rostochiensis

ORATIO  
DE  
LAUDE  
HISTORIARUM,  
deque diversis earum  
Scriptoribus,

In Schola WISMARIENSI, 3. Non.  
Decemb. Anno 1623.

HABITA  
à  
M. JOANNE CRUDOPIO  
ibidem Conrectore,

Cum Jo. SLEIDANUM de quatuor Mo-  
narchijs, jussu Scholarum, legere  
inciperet.

ROSTOCHI  
Typis Joachimi Pedani, An. 1624.





*Amplissimis, Consultissimisque, Viris,*  
DOMNUS CONSULIBUS  
inCLYTAE REIP. WISMARIENSIS  
gravissimis: cæterisque; Scholæ ibidem,  
Inspectoribus prudentissimis:  
*Dominis Patronis, & fautoribus suis atatem  
honorandis,*

Hoc quicquid est laboris & muneris  
litterarij,


VICE

*Ξένις καὶ δωροφότηων*

In felix ac salutare novi post natum Chri-  
stum cONSUL CONSULIV. anni auspiciuM,  
mediuM, ac finem,

*Cum submissa reverentia, observantiaque  
debita, offert dedicatque*

M. Joannes Crudopius  
Suerinensis.



DE HISTORIARUM LAUDE  
ORATIO.

**Q**uod felix ac faustum sit, omnibusq; totius hujus Scholæ alumnis prosperum ac salutare, Joan. Sleidanum de quatuor summis ac præcipuis orbis terrarum Imperijs, seu Monarchijs, Dei conatus nostros benignè fortunante, explicare aggredimur. Omnino autem præclare de genere humano promereri mihi videntur, qui tempora rerum gestarum digerere, supputare, demonstrare, & alijs ob oculos ponere conantur. Temporis enim annotatio lux veritatis est, & anima quasi historiæ, & diurnitatem ejus, memoriamq; rerum gestarum sola conservat & tuetur: contra verò apud quos ratio temporis non coheret, apud illos neq; veritatis, neq; fidei historica ratio ulla constare potest. Imò vero qui sine temporum ratione, historias intelligere se posse putant, perinde falluntur, ac si labyrinthi errores evadere sine duce velint. Hi enim vagantur huc illuc, nec ullum erroris exitum reperire possunt; illi verò inter historiarum innumerabiles anfractus æquè incerti feruntur, nec intelligunt, unde cœperint, quoque recurrant. Quod cum intelligeret Sleidanus, tantum operæ & studij in eruendis temporum rationibus posuit, ut, quantum præstat vera historia fabulis; quanto plus etiam emolumenti Rebus, atq; ita universo generi humano ex vera historia, quam ex fictis istis narrationibus, accedere potest; tanto plus illi viro laudis tribuamus. At veremur, ne culpa tenuitatis nostræ, non attingentis fastigium excellentiæ, laudes  
A 2 ipfius

ipſius magis deteramus, quàm illuſtremus. Nam quod de Romanæ eloquentiæ parente M. Tullio Cicerone quidam dixit, illius celebrationi non alium, quàm Ciceronem laudatorem ſatis facere poſſe: id in Sleidanum noſtrum non minus quadrare nobis perſuaſum habemus: quem nemo, niſi Sleidanus ipſe elogio ſatis digno prædicare poterit unquam. In quem ea, quæ de bono & erudito Historico dici poſſunt, cadere videas univerſa, præſertim *ὡτις τὸ ἐργῶν*, ut communi fertur proverbio demonſtrante artificem. Ut autem in ſtudium hoc Historicum adoleſcentes alacritate induſtriæq; majori incumbant, operæ præcium facturus mihi videar, ſi de laude Historiarum, deq; diverſis earum ſcriptoribus non nihil in præſentia, ſumma tantum rerum faſtigia tangendo, diſſeram. Nam nulla mortalibus ad vitæ inſtitutionem facilior eſt via, quàm rerum retro geſtarum cognitio. Etenim ut in omnibus artibus ad imitandum paradigmata proponuntur: ita majorum exempla hiftoriarum monumentis conſignata, multos, quorum animi ſunt degeneres, à vitij abſterrent, nonnullos verò, qui virtutis iter jam ingreſſi ſunt, in hoc ſtudio magis magiſq; confirmant. Quocirca Collegæ humaniſſimi, & diſcipuli cariſſimi, ut de tali materia me dicturum & ſedula attentione, & benevola affectione veſtra proſequamini, non eſt, quod multis vos rogem, cum iſtiusmodi officij genus, pro ſingulari veſtra humanitate ac favore, vos mihi haud quaquam denegaturos eſſe, planè conſidam.

Quod ſi omnia Dei Opt. Maximī dōna, quibus humanum genus affatim cumulavit, ſummis laudibus meritò tollenda ſunt, haud equidem ſcio, an unquam quicquam vel laudabilius, vel utilius, vel magis deniq; neceſſarium hominibus contigerit, quàm quod divinum Numen ab initio mundi.

HISTORIARUM.

mundi ad nostra usq; tempora, historias conscribi voluerit. Est enim Historia vera rerum olim gestarum narratio, à viris doctis & fide dignis, literis prodita, ad vitæ morumq; institutionem. In quam sententiam non inconuenienter Sabellicus: Historia, inquit, magnarum rerum consilia, actiones, & exitus, regumq; & illustrium virorum facta, cum temporum ac locorum ordine & descriptione, tanquam viva quædam pictura, ob oculos ponit. Huc etiam aptè quadrant elegantissimi hi versus Poëtæ de Historia.

— — — Sola hæc annos & tempora nobis  
Præterita, & prisca memorans insignia mundi  
Suggestit ignavis, quicquid longæva vetustas  
Gestorum tenebris tegit, & caligine volvit,  
Immensosq; situ, atq; altis premit inuida lustris.  
Hæc nobis rerum primæva ab origine pandit  
Omnia, ut obscuro pulcher concreverit orbis  
Principio, blandusq; novis effulserit æther  
Ignibus, & tellus hic montibus ardua celsis,  
Hic in planiciem & campos effusa patentes,  
Protulerit subito nemora, & genus omne ferarum.  
Hæc scimus prodepte Ducum, Heroumq; potentum  
Nomina, fortunas, vires, & gesta, tot usquam  
Millibus annorum, diversis partibus orbis.  
Hæc tumidum Xerxis flatum, pavidamq; recenset  
Tempestate fugam, Hannibalem, Tyriosq; furores,  
Romuleumq; decus, &c.

Sunt autem Historiæ, teste Bodino, tria genera: humanum, naturale, divinum. Primum ad hominem pertinet: alterum ad naturam: tertium ad naturæ parentem. Unum actiones hominis in societate vitam agentis explicat: alterum causas in natura positas, earumq; progressus ab ultimo principio deducit: postremum præpotentis Dei, animorumq; immortalium in se collectam vim ac potestatem intuetur. Ex quibus

assenſio triplex oritur, probabilis, neceſſaria, religioſa. toti-  
demq; virtutes, ſcilicet prudentia, ſcientia, religio: una qui-  
dem turpe ab honeſto: altera verum à falſo: tertia pietatem  
ab impietate dividit. Primam ex imperio rationis & uſu re-  
rum agendarum, humanæ vitæ moderatricem vocant: alte-  
ram ex abditarum cauſarum inquisitione, rerum omnium  
inventricem: poſtremam ex unius Dei erga nos amore, vi-  
tiorum expultricem. Ex his tribus virtutibus inter ſe con-  
junctis, conflatur vera ſapientia, ſummum extremumq; ho-  
minis bonum: cujus boni qui ſunt in hac vita participes, bea-  
ti appellantur. Et quoniam ejus fruendi cauſa in hanc lu-  
cem venimus, ingrati ſimus, niſi bonum illud divinitus no-  
bis oblatum amplectamur: miſeri, ſi ab eo deſerimur: ejus  
autem adipiſcendi magnum eſt ab hiſtoria triplici adjumen-  
tum: maximè verò à divina, quæ hominem per ſe ipſa beare  
poſteſt, ſine uſu rerum agendarum, ſine occultarum cauſarum  
cognitione: quæ tamen ſi acceſſerint, magnum, opinor, ad  
hominis felicitatem allatura ſunt incrementum. Conſe-  
quens igitur eſt, ut rerum divinarum hiſtoriam, ante omnia  
nobis commendatam habeamus, ut veram inde ſapientiam,  
recteq; & piè vivendi rationem conſequamur. Cum enim  
homines ad id conditi ſimus, ut Deum in hac vita rectè a-  
gnoſcamus & colamus, & ſuo quiſq; loco ſocietati commu-  
ni ſerviamus, & poſt hanc vitam æterna Dei conſuetudine  
fruamur: omnes utiq; in hiſtoriarum monumentis, inve-  
ſtigare debemus, quomodo ſe Deus patefecerit, quomodo  
coli velit, & quomodo deniq; ſervet ac regat Eccleſiam, ex-  
tra quam nemo ſalvatur. Et tot rerum Exempla in Hiſto-  
rijs tum Eccleſiaſticis tum Ethnicis, quid quaſo ſunt aliud,  
niſi clariffima ac evidentiffima ſapientiæ, juſtitiæ, & miſe-  
ricordiæ diviniæ teſtimonia: quod rerum humanarum cu-

HISTORIARUM.

ra Deus afficiatur: quod sit author & conservator legum, judiciorum, artium vitæ necessariorum, disciplinæ, & pij magistratus: quod deniq; sit iudex & vindex scelerum, atq; magna & atrocia delicta magnis & singularibus pœnis vindicet, tam in ijs, qui magistratum gerunt, quam qui vitam agunt privatam. Unde meritò exclamamus: O eminentiam Historiæ prope divinam! necessitatem maximam! utilitatem pene ineffabilem! Maximè vero ijs, qui in Ecclesia docent, ex usu est historiarum lectio. Quid enim illis dignius, quàm scire, quæ & qualis inde à mundi natalibus ad hæc usq; tempora extiterit Ecclesia; qualis in ea doctrinæ forma, quæ disciplina & censura Ecclesiæ, quæ deniq; rituum & ceremoniarum consuetudo, tum verò maximè, quæ, quales, & quando doctrinarum corruptelæ & hæreses in Ecclesiam irreperint. Sed quid dico de Theologis? annon vel maximè viris, in summo generis humani fastigio collocatis, quales sunt imperatores, reges, & principes, aspiciendæ sapientie sunt historiæ? quæ instar speculorum sunt, in quibus sese contemplantes, non tam benè regendi prudentiam, quàm rectè vivendi artem discant. Neq; enim defuerunt olim gubernatores populi, vera sapientia ac virtute divinitus ornati, ijq; necessaria autoritate, velut tutissimo ac munitissimo septo circumdati, atq; felicitate consiliorum, rebus bello & pace fortiter & præclarè gestis, laude victoriarum, studijs & favore populi admodum florentes: ex quorum numero non infimi fuerunt David, Josaphat, Ezechias, Constantinus, Theodosius uterq;: quantum vis & illi exemplum humanæ imbecillitatis, in tanta excellentia sapius ostenderint. Contra etiam extiterunt tyranni impijssimi, utpote Nero, Caligula, Domitianus, Heliogabalus, & alij ferè innumeri. Quæ monstra hominum quàm miserrimam Ecclesiæ &

siæ & Imperijs cladem attulerint, historiæ satis testatum faciunt. Hæc autem diversa exemplorum genera si quis regum aut principum intuetur, facilè fieri potest, ut boni ad majorem pietatem ac virtutem accendantur; mali verò à tyrannide & turpitudine absterreantur: præsertim cum hi etiam intelligant, omnem suam vitam ab historiographis deinceps in totius orbis, imò seculorum omnium quasi theatrum produci, & quicquid in abdito vel patrauerint, vel adscito fuce prætexuerint, vel metu dissimulari coegerint verius, quàm ignorari, ante omnium mortalium oculos proponi, adeoq; à posteritate perpetuis ignominia maculis notari, explodi, atq; exhibitari. Illi verò, quos de meliore luto ut Poëta loquitur, finxit præcordia Titan, eximijs majorum exemplis adducti, ob immortalem nominis laudem & gloriã, ad præclara facinora magis magisque extimulantur. Id pauculis duntaxat argumentis planum faciam, siquidem ex iisdem fontibus, quibus ego haurire quisq; plura possit. Maximè verò omnium exemplum Scipionis Africani nobis probatur. Is cum Cyripædiam Xenophontis assidua lectione perquam familiarem sibi fecisset, ex eaq; omnem omnium virtutum laudem sibi comparasset, tantus vir evasit, ut ex admiratione ipsius, non tenui interim orto aliorum Imperatorum contemptu, ingens in Hispania bellum exarserit. Neq; id solum; sed propter virtutem etiam ipsis latronibus sanctus ac inviolatus extitit. Cum enim pyrata ad ades ipsius rusticas confluerent, & verò ab aditu, tanquam vim Scipioni illaturi, strenuè propullarentur, supplices à satellitibus petierunt, ut sibi divinum illum hominem contueri ac venerari liceret: quod ille, re tandem cognita, permisit, ut latronum barbariem & rabiem ad humanitatem & mansuetudinem revocaret. Sed quid vetera exempla conquirimus?

nullum

nullum certè exemplum recentius & illustrius, quàm de Seli-  
 mo Turcarum Imperatore, cuius majores cum ab historijs  
 tanquam à fabulis, planè abhorruissent, primus ipse  
 gesta Cæsaris in linguam vernaculam transferenda cura-  
 vit, ac ejus imitatione magnam Asiæ minoris & Africae  
 partem cum imperio majorum conjunxit. Quid verò  
 ipsum Cæsarem ad eam virtutem impulit? annon lauda-  
 tissima illa Alexandri M. imitatio? cujus historias cum  
 aliquando legeret, lacrymas uberius effudit, quod ea ætate,  
 qua ille orbem terrarum domuisset, nihil dum gessisset.  
 Quid item Alexandro M. tot. victoriarum causa fuit? nonne  
 virtus Achillis ab Homero, sine quo ne somnum quidem  
 capiebat, ad imperatoris optimi exemplar efficta? Quid  
 deniq; Carolum V. ad tantam gloriam extulit? nonne Ludo-  
 vici XI. regis Gallorum, ex historia Cominæ, imitatio?  
 Certè ut complura pauculis constringam, quicquid Impera-  
 tores & principes, alijq; ad Reip. gubernacula in urbibus  
 sedentes, in vita ac gubernatione integritatis habent, histo-  
 rijs non immeritò acceptum referre debent. Hi enim cum  
 explorant causas & exempla in gubernatione consiliorum,  
 & conatum cum rectorum ac salutarium, tum injustorum  
 ac infelicium, statim illa imitanda, hæc cavenda & vitanda  
 esse sentiunt. Sed & in exemplorum delectu ac imitatione  
 haud vulgari cautione, prudentia & dexteritate utendum  
 est, ne aliorum κακοζήλια aut stulta imitatione seducantur.  
 Imprimis verò Gubernatoribus vipereo veneno pejus fugi-  
 enda est vindictæ cupiditas, ambitio, præcipitantia, iracun-  
 dia vehemens, odium, avaritia, potentiæ fiducia (quæ sem-  
 per conjuncta est cum superbia) & πολυπραγμοσύνη, quæ ut  
 ferè ex æmulatione, aut ambitione, aut naturæ vitio oritur,  
 ita ad tentanda aut movenda vel majora viribus, vel non  
 necessaria extra vocationem impellit. Hæc enim vitia men-



tem in iudicando impediunt, imò excæcant. Cæterum Jure-  
 cōsulti & oratores, ut nomen suum cum laude obtineant,  
 studiosè historias legant necesse est. Hinc enim fontes, caus-  
 sas, occasiones, & authores legum discunt: hinc formam &  
 consuetudinem iudiciorum & Rerump. percipiunt; hinc  
 ordinem & discrimen Māgistratum cognoscunt: hinc infi-  
 nitam casuum varietatem legibus adjungere sciunt: hinc  
 deniq; prudentiam politicam, omnium consiliorum & actio-  
 num magistram hauriunt. Ea re benè intellecta Demosthe-  
 nes Thucydidem adeo familiarem sibi fecit, ut octies eum  
 descripserit. Cicero latinæ linguæ parens tanto amore Xe-  
 nophontem complexus legitur, ut vix diem intermiserit,  
 quin nonnihil in eo legeret: ut, quicquid ad benè beateq;  
 vivendum conferret, inde sciret. Nec verò historiarum  
 cognitio tantum ad eos pertinet, qui sese & suam operam  
 Ecclesiæ vel Reip. addixerunt: sed & pro rerum gestarum  
 diversitate ijs prodest, qui vitam agunt privatam. Hi enim  
 exinde tantum consequuntur, quantum mens discendi cu-  
 pida ex libris omni præceptorum & doctrinarum genere  
 refertis, atq; insigni exemplorum varietate illustratis, acqui-  
 rere, & ad usum suum, in tota vita, quicumq; tandem casus  
 vel prosperi vel adversi obijciuntur, transferre potest. Unde  
 historia etiam vita magistra non minùs scitè, quàm rectè à  
 Cic. appellatur. Hæc omnia dicta, facta, & cōsilia ad quod-  
 dam Decalogi præceptum referri oporteat, accurata indu-  
 stria observat: neq; tantum virtutum, quas divina lex man-  
 dat, præmia; sed & vitiorum, atq; scelerum, quæ prohibet,  
 pœnas, singulari studio notat. Ex quo fit, ut illi, qui virtu-  
 tis tramitem jam ingressi sunt, ad majorem ejus amorem in-  
 flammentur; ij, verò, quibus ingenium ad vitia proclive, ab  
 ijs deterreantur: cum percipiant, eos, qui se flagitijs penitus  
 dediderint, justis maledictis proscindi: qui autem virtute

HISTORIARUM.

claruerint, jure & merito suo laudari. tametsi enim viri boni per se laudabiles sunt, ut vel minimè à quopiam laudentur: nihilo tamen minus præter ea, quæ virtuti præmia proponuntur, hunc etiam laudis fructum vivos ac mortuos consequi par est: ut indignè ferant scelerati, bonos, qui ab ipsis opprimuntur, in cælum usq; laude tolli: se verò, suorumq; nomen æterna labe maculari: quod licet non nihil dissimulent, non tamen sine acerbissimo sensu doloris eos id perpeti & sufferre oportet. Nec insulsè etiam Historia Ciceroni lux veritatis dicitur. Nam animos cœcutientes multarum rerum noticia illustrando, prudentiam in homine conciliat, sapientiam alit, & judicium deniq; tam accuratè tamq; eleganter informat, ut ex præteritis observationibus rectè de futuris ratiocinari, variasq; abditarum rerum causas tum effectrices tum finales, adeoq; quid verum, quid falsum, quid faciendum, quidve omittendum sit, evidenter colligere valeat. Hac verò historiarum luce si homo fortè destituatur, ecquid erit certius, quàm quod ipse in densissimis quasi cespitet tenebris, & sui ipsius & divinorum operum ignarus? neq; enim præteritorum rectè meminisse, nedum ex præteritorum & præsentium comparatione de futuris judicare, nec ea quidem, quæ ante pedes sunt, cognoscere poterit: sed stupidæ instar pecudis, quam natura pronam, ventriq; obedientem finxit, ad ea sola, quæ gulam (ventremq; explent, rationis & judicij expers feretur. Hujus bestialis stupiditatis cum expultrix sit historiarum cognitio, nullum esse laborem nec præstantiorem, nec fructuosioremi puto, quàm qui lectioni historiarum impenditur. Sic n. historia de se non tam gloriosè, quàm verè pronunciat apud Poëtã:

*Ille ego, que gestis præsum custodia rebus,  
Digero quod caveas, quodq; sequaris iter,  
Et sua virtuti per me sunt premia: rursum  
Impia famosis defero facta notis,*

Elo-

DE LAUDE

Eloquor & summi quantum jactentur & imi,  
 Eloquor & cæca fasq; nefasq; Dea.  
 Me sine quis prudens? unde experientia major?  
 Quis me adijt, tandem nec mage doctus eat?  
 Omnis enim nostro pendet prudentia sensu,  
 Riteq; nil, nostrâ qui caret arte, sapit.

At verò præter utilitatem illam incredibilem, facilitas & oblectatio, quæ duæ res in omni disciplinarum genere potissimum quæri solent, in Historiarum cognitione ita conspiciunt, ut nec facilitas in ulla scientia major, nec par voluptas inesse videatur. Omnium quippe artium ea est ratio, ut, cum universæ ipsæ inter se vinculis aptè colligatæ sint, altera sine alterius cognitione percipi minus queat: historia verò quasi supra scientias omnes, in altissimo dignitatis fastigio locata, nullius omnino ope egere videtur, ac ne literis quidem ipsis, cum sola auditione, veluti per manus tradita, posteritati relinquatur. Eam ob causam vir Dei Moses: Narrabis, inquit, hæc filiis tuis: cum suæ Reip. ac librorum interitum auguraretur. Et sanè historiæ præmium immortalitatem esse, cum plurimi tradiderunt, tum Cicero, qui ad Lucium Luceium scribit, sui ut rumores illius monumentis cõmendentur. Sic & Plinius optat, C. Taciti res gestas inferi historijs, quod eas immortales futuras existimaret. Quo respexit etiam Cicero, cum prius interituram Salaminam diceret, quã quæ ad Salaminam gesta memorentur. Tanta verò historiã voluptas est, ut plerumq; & corporis & animi morbis mederi videatur. testis sunt, ut alios omittam, Alphonsus & Ferdinandus, Hispaniæ & Sicilia reges, quorum alter à Tito Livio, alter à Q. Curtio amissam valetudinem recuperasse scribuntur. Quid enim oblectabilius, quam ducere Historia, per totum terrarum orbem, ultra solis vias, & Oceani limites sese effundere? quid suavius? quàm omnium imperiorum, regnorum, principatuum, urbium ortus, mutatio:

rationes, & interitiones oculis quasi coram contemplari? quid jucundius deniq; quàm bonorum elogia & præmia, malorum, verò vitia & supplicia cognoscere? Hinc fit, ut qui semel historiarum illecebris captus ac delinitus fuerit, nunquam à suavissimo illarum complexu divelli se patiatur. Cui n. eruditorum sufficit una saltem lectio vel Livij, vel Taciti vel Herodoti, vel Thucydidis? Quis non authores illos sapius sumit in manus & sapius perlegit? Dum enim ijs adhaeremus, videmur præteritis non minus interesse, quàm præsentibus illisq; perinde uti posse, ac nostris. Solent quidem nonnulli fabularum, quæ fictas res continent, vel lectione, vel narratione magnopere delectari, quanto verò major & melior omnibus rectè judicantibus delectatio contingit, si quando historias ipsi audiunt, legunt vè? quarum lex, finisq; est, ne quid falsi dicatur, neu quid veri taceatur, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua similtas, ut innuit Sabellicus: Et Vives lib. 2. de causis corruptarum rerum: Historia, inquit, ut reliqua habeat omnia, si veritatem non habet, obtinere nomen suum non potest. Cum itaq; veritas non odium, quod Comicus ait, sed amorem parere debeat, ecquis inficias iverit, maximam lectionis historiarum jucunditatem esse? Nec quiequam moramur, quod Horatius in arte Poëtica asserit, solos Poëtas jucunda, & idonea dicere vitæ. Nam si figmenta eorum delectationem pariunt, quanto majorem adferent jucunditatem historiographi, qui non de rebus fictis, sed veris, non de spurcis, sed pulchris, nec de furtis & concubitu Deorum, sed de unius veri Dei gloria & magnorum virorum rebus præclare gestis scribere allaborant. Hinc Dido apud Ausonium rectè ait:

*Vos magis Historicis lectores credite veris,*

*Quàm qui furta Deum, concubitusq; canunt.*

Quid multa? ut tēpore verno, cum omnia ridet, peregrinationes plurimum animos & corpora reficiunt: ita historiarum lectio, quæ mentes quasi per varias regiones, urbes, & populos, peregrinantes facit, perturbatos plerumq; homines sic animare, atq; exhilarare consuevit, ut termē

DE LAUDE

ipſi omnes omnino curas obliſci putentur. Nihil dicam deniq; quantæ ornamenta ijs addantur, qui vel in convivijs, vel alibi, ex historijs majorum exempla plurimum & authoritatis ad probandum, & jucunditatis ad audiendum præ ſe ferentiâ, commemorare poſſunt. Hinc, factum eſt, ut Aegyptius quidam ſacerdos Solonem & Græcos, qui recordationem præſci temporis non tenerent, pueros appellarit. Historia enim, ut Lud. Vives ait, ſi adſit, ex pueris facit ſenes: ſi abſit, ex ſenibus pueros. Itaq; quàm certum eſt diem eſſe, cùm ſol ſupra horizontem noſtrum vehitur, tam certum nobis, atq; indubitatum eſt, omnibus omnium ordinum hominibus nihil dignius, nihil utilius, nihil deniq; magis neceſſarium eſſe, quàm rerum retro geſtarum cognitionem. Quod cùm ita ſit, haud immerito illi, qui legendis historijs non delectatur, illud Ovidij occinitur:

*Te lapſi & montes, innataq; rupibus altis*

*Robora, te ſava progenere fera.*

Atq; hæc ſunt, quæ de Historiarum laude dicere decreveram: nunc breviffimè de diverſis earum ſcriptoribus. Cum autem ex jam dictis ſatis cognitum exploratumq; ſit, nullis ex libris, nec utilitatis, nec jucunditatis plus hauriri poſſe, quàm ex eorum monumentis, qui res majorum publicè privatimq; geſtas, fide minimè ſucata poſteris tradiderint: eorum certè labores qui in historijs conſcribendis ſuam navarunt operam, merito veneramur, grataq; mente cujuſq; ſtadium, in juvanda hominum ſocietate; amplectimur, ingentem verò historiographorum numerum, cùm alij, tum imprimis Joan. Ravifius in ſuo Theatro Poërico & Historico: & Joan. Bodinus in ſua Historiarum Methodo, longa ſerie recenſent: quos ſingulos evolvere nullius proſus hominis, quantumvis maximè exercitati virium eſt. Ut itaq; qualiſcunq; Historicorum delectus habeatur, nos eos in tres claſſes diſtinguendos cenſemus. In quarum prima verſantur illi, qui inde à mundi natalibus juxta temporum ſeriem, omnium ætatum, præcipuarumq; gentium res geſtas; tum etiam imperiorum initia, incrementa, everſiones, & maximarum rerum, imprimis in Eccleſia mutationes, accurato ordine nobis ob oculos ponunt. Inter quos cùm antiquitate tum certitudine, omnium primas ſibi vendicat Moſes, qui ſingulari Spiritus ſancti gratia illuſtratus, mundi primordia, atq; continuam temporum ſeriem, juxta Patriarcharum genealogiam, exactiſſimè conſcripſit. Nec poſt eum minimam meretur laudem Herodotus, qui in eo ipſo ſerè momento, ubi Biblia deſinunt, ſuam Historiam incipit, & res Perſicæ Monarchiæ, cujuſ initia in Biblijs extant,

## HISTORIARUM.

extant, usq; ad bellum Xerxis deducit. Hunc immediatè sequitur Thucydides, qui à Xerxis ex Græcia discessu; usq; ad vigesimum annum belli Peloponnesiaci; circiter septuaginta annorum historiam complectitur. Ubi desinit Thucydides, Xenophon *ἑλληνικῶς* inchoat, & 40. annorum res in Græcia gestas contexit. Postea Diodorus Siculus res Macedonicas Philippi & Alexandri Magni, & successorum in Græca Monarchia collegit. Livius verò Romanam Historiam usq; ad quartum annum ante Christi natalem descripsit. Inde alii qui Livium secuti sunt, Cæsares Romanos ad nostra usq; tempora deduxerunt. Ita singulari beneficio divino perpetua inde ab initio Mundi historia conservata est, cum per veteres, tum per recentiores scriptores, quorum non postremi sunt Joan. Capnion, Rudolphus Agricola, Philippus Melancthon, & Sethus Calvisius. Hi siquidem non solum suorum temporum memoriam consulunt, sed omnium etiam res gestas, quæ, dum confusaneis scriptis hinc inde dispersæ jacent, vel faciliè interire, vel difficulter à quovis evolvi poterant, lectori quasi in theatro quodam spectandas exhibent. In alteram classem referimus illos, qui suæ tantum ætatis res gestas literis mandarunt. Hi cum de suo omnia hauriant, & magna verborum, ordinisq; dexteritate, res maximas ad posteros transmittant, majorem reliquis omnibus merentur laudem & gloriam. Sic olim, de quo ante dixi, Thucydides bellum Peloponnesiacum; & Xenophon libros *ἀναβάσεως* Cyri, & *ἑλληνικῶν*: & superiore ætate Leonhartus Aretinus: hac nostra verò singulari cum gratia Paulus Jovius, Joan. Sleidanus, Lampridius Hortensius, Ludovicus Guicciardinus, & Natalis Comes, suorum temporum res gestas describere. Quælium scriptorum copia olim destitutam fuisse Germaniam meritò deploramus. Tertia deniq; classis continet historicos, qui tum ex antiquis, tum ex recentioribus historijs, illustria virtutum & vitiorum exempla, in locos communes digerunt, eaq; in re non tantum ijs, qui rerum cognoscendarum studio tenentur, optimè consulunt, sed eorum etiam industriam, qui virtutibus illis student, quas vel humana philosophia, vel sacrarum literarum commendant oracula, egregiè juvant, adeoq; omnium historiarum usum, in vita hac, & consultationibus dextrè instituendis, manifestissimè monstrant. Ex quâ historias conscribendi ratione, multi non minimam sibi laudem peperere. Inter quos cum vetustate, tum elegantia primas sibi jure vendicat Valerius Maximus: quem


amu-

DE LAUDE HISTOR.

æmulatus Baptista Fulgofus, insignia Imperatorum, regum, principum  
 aliorumq; illustrium, virorum; tum etiam eorum, qui vitam agunt priva-  
 tam & quietam, facta, in certas virtutum & vitiorum classes mira elegan-  
 tia redegit. Quin etiam Andreas Hondorfius, Sabellicus, & Joan. Bapti-  
 sta Egnacius, parem historias colligendi viam ingressi, non mediocrem  
 laudem meruere: tum etiam Guido Bituriensis, & Marulus Spalatensis:  
 ne dicam de antiquioribus, Heraclide, Pontico, Eliano, Polyano: quo-  
 rum diligentiam eo gratiore animo amplectimur, quod ex vastissimo hi-  
 storiarum campo, cognitu dignissima lectori suppeditent, & in quem u-  
 sum cognoscenda sint historia, sub uno quoq; titulo, lectori non proflus  
 oscitanti ostendant. Cum itaq; ut tandem finem Orationis faciam, histo-  
 riæ infinitam habeant utilitatem, facilitatem maximam, majorem etiam  
 oblectationem, nemo, puto, tam bardus tamq; ferreus erit, quin earum le-  
 ctione & auditione plurimum delectetur; atq; ex præscripta hac triplice  
 classe unum aut alterum historicum excerptat, quem nocturna, versare ma-  
 nu versare diurna, maximopere studeat, atq; eum in succum quasi & san-  
 guinem convertat. Quod si enim, quæ tuenda corporum valetudini pro-  
 flunt, remedia studiose in natura inquirimus, quanto magis ex historijs  
 elicere & conquirere nos decet, quæ nobiliorem ac meliorem nostri par-  
 tem, videlicet animum forment, fingant, erudiant, instruant, emendent,  
 atq; ad omnes vitæ casus, cum pietate, precatione, constantia, & spæ au-  
 xilij divini excipiendos & perferendos præparent, præmuniâtq;. Quamo-  
 brem ex usu nostræ scholæ ij, quibus inspectio illius demandata est, futu-  
 rum judicant, si cum artibus humanioribus & linguis Historices stu-  
 dium conjungatur. Quod consilium tanto libentius lector & amplector,  
 quanto magis historiarum lectio studiosæ juventuti necessaria, mihiq; ju-  
 cunda est. Universis proinde adolescentibus, qui ad solidæ eruditionis, ac  
 sapientiæ laudem contendunt, suasor, authorq; sum diligens, ut in lau-  
 datissimo Historiographo nostro, quem in manus modo sumimus, &  
 legendo & audiendo, alacritatem industriamq; suam identidem nobis  
 probent, certaq; persuasione statuam, fore aliquando, ut studiorum fru-  
 ctus vel in Ecclesia, vel Rep. non mediocres ferant. Deus pater Domini  
 nostri Jesu Christi, à quo omnis actionum & meditationum felicitas, uti-  
 litas, ac facilitas unice pendet, manatq;, nostris omnino docentium di-  
 scentiumq; studijs ac laboribus favoris sui benigna aura aspiret; ut  
 quequid cogitamus, dicimus & facimus serviat solus


Dei gloriæ, & nostræ omnium salutis.


D I X I.














the scale towards document

*HISTORIARUM.*

ationes oculis quasi coram contemplari? quid  
quam bonorum elogia & pramnia, malorum,  
licia cognoscere? Hinc fit, ut qui semel histo-  
captus ac delinitus fuerit, nunquam a suavissi-  
lexu divelli se patiat. Cui n. eruditorum sufficit  
vel Livij, vel Taciti vel Herodoti, vel Thucydi-  
tores illos sapius sumit in manus & sapius per-  
js adhaeremus, videmur praeteritis non minus  
resentibus illisq; perinde uti posse, ac nostris.  
nonnulli fabularum, quae fictas res continent, vel  
atione magnopere delectari, quanto vero ma-  
ibus recte judicantibus delectatio contingit, si  
ipsi audiunt, leguntve? quarum lex, finisq; est,  
ur, neu quid veri taceatur, ne qua suspicio gra-  
o, ne qua simulatas, ut innuit Sabellicus: Et Vives  
ruptarum rerum: Historia, inquit, ut reliqua  
eritatem non habet, obtinere nomen suum non  
veritas non odium, quod Comicus ait, sed a-  
beat, ecquis inficias iverit, maximam lectionis  
ditatem esse? Nec quicquam moramur, quod  
oetica asserit, solos Poetas jucunda, & idonea  
n si figmenta eorum delectationem pariunt,  
adferent jucunditatem historiographi, qui non  
veris, non de spurcis, sed pulchris, nec de fur-  
eorum, sed de unius veri Dei gloria & magno-  
us praclare gestis scribere allaborant. Hinc  
nium recte ait:

*Historicis lectores credite veris,  
m qui furta Deum, concubitusq; canunt.*  
ore verno, cum omnia rident, peregrinationes com-  
orpora reficiunt: ita historiarum lectio, quae mentes  
ones, urbes, & populos, peregrinantes facit, pertur-  
lines sic animare, atq; exhilarare consuevit, ut ferme

B 3

ipfi